

tum aliquid, quo dirigerem cursum meum. Et venerat dies, quo nudarer mihi, et increparet me conscientia mea. Ubi es, lingua? Nempe tu dicebas, propter incertum verum, nolle te abjicere sarcinam vanitatis. Ecce jam certum est, et illa te adhuc premit, humerisque liberioribus pennis recipiunt, qui neque ita inquirendo attriti sunt, nec decennio, et amplius ista meditati. Ita rodebar intus, et confundebar pudore horribili vehementer, cum Pontitianus talia loqueretur. Terminato autem sermone, et causa, qua venerat, abiit ille. Et ego ad me, quae non in me dixi? Quibus sententiarum verberibus non flagellavi animam meam, ut sequeretur me conantem post te ire? Et renitebatur: recusabat, et non se excusabat. Consumpta erant et convicta argumenta omnia, remanserat muta trepidatio; et quasi mortem reformidabat restringi a fluxu consuetudinis, quo tabescebat in mortem.

CAP. VIII. IN HORTO QUID FECERIT.

Tum in illa grandi rixa interioris domus meae, quam fortiter excitaveram cum anima mea, in cubiculo nostro, corde meo, tam vultu quam mente turbatus, invado Alium, et exclamo: quid patimur? quid est hoc? quid audisti? Surgunt indocti, et coelum rapiunt; et nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce ubi volutamur in carne, et sanguine? An quia praecesserunt, pudet sequi, et non pudet nec saltem sequi! Dixi nescio quae talia; et abripuit me ab illo aestus meus, cum taceret attonitus intuens me. Neque enim solita sonabam, plusque loquebantur animum meum frons, genae, oculi, color, modus vocis, quam verba, quae promebam. Hortulus quidam erat hospitii nostri, quo nos utebamur sicut tota domo. Nam hospes ibi non habitabat dominus domus. Illuc me abstulerat tumultus pectoris, ubi nemo impedit ardenter litem, quam mecum aggressus eram, donec exiret, qua tu sciebas, ego autem non. Sed tantum insa-